

D
ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
ANDREAS WEBER

CVM CANCELLARIO ET SENATV.

INAVGVRALIA SACRA

A. D. XVII SEPT. cibIccclIII

PIE CELEBRANDA
PIE CELEBRANDA

INDICIT

Disputantur Aristotelea quaedam de Gloria

G O T T I N G A E
TYPIS IO. CHRISTOPH. LVDOLPH. SCHVLTZII ACAD. TYPOGR.

Lit. Graec.
B.
1328,40

ACADEMIE GEORGIAE AUGUSTAE
PRORECTOR
ANDREAS WEBER

CAM CONCERTVMO ET SEMINA

INVAUGURALVM SVBSCRA

A.D. MDCCCLXII. Octobr. 11.

ET CEREMONIAE

INDICAT

INDICAT

DIGITIZED BY THE LIBRARIES OF THE STATE AND LOCAL GOVERNMENT OF SACHSEN
Digitized by the State and Local Government of Sachsen

GOTTSCHE

DR. IO. CHRISTIANI FLORENTINI SCHULTELLWICZ. MDCCLXII.

De Gloria interdum disputari inter iuniores ingeniorum cultum capessentes, vtile non uno nomine esse videtur. Siue enim res est, de qua multa cogitandi ac dicendi quotidie offeratur occasio; operaे pretium est mature de ea dispi- cere, & sententiam animo certam informare: siue in ea inest po- tentissimum, quo animi humani impellantur, momentum; quid dignius est consideratione eorum, quibus pars aliqua maior mi- nor reipublicae committenda est? Nos in praesens de copia eorum quae dicta sunt de Gloria, quae dici possunt, pauca quaedam de- libabimus, in quae unus itemque alter locus Aristotelis nos deduxit. Non amplius ridiculum nomen est Aristoteles, sed qui tantum certe apud intelligentes auctoritatis habeat, vt de populari- um suorum & aequalium sententiis, & moribus, docere vera cre- datur, vt qui ipsum norit, is velut animam, & ingenium, & sensum communem florentissimae Graeciae videatur tenere. In Gloriae quidem formanda notione, quae non ex facillimis est, videbatur vtilis esse Aristotelea τὸ ἐνδόξον definitio, quo nomine Graeci signabant illud, quod Latina consuetudine *probabile* dici- tur: ad verbum autem ἐνδόξον est quasi in opinione & sententia hominum positum: haec enim est δόξα, id quod videtur, sen- tentia, opinio. Hoc igitur suum ἐνδόξον, quod probabile dicunt Latine loquentes, ita finit Aristoteles, vt sit illud, quod videtur

aut omnibus, aut maiori parti, aut sapientibus; & rurius aut ins omnibus, aut plerisque, aut nobilibus maxime & claris. Haec transferri ad Gloriam eiusque constituendam notionem, eo ma- iori iure possunt, quod verborum quaedam cognatio & e com- muni fonte deriuatio apud Graecos est, a quibus & philosopha- ri & recte loqui didicere ceteri. Hi uno nomine bonam opini- onem, & secundum de praestantia alicuius iudicium, & velut splendorem quandam cuiuscunque actionis vel virtutis, oculos splendorem quandam cuiuscunque actionis vel virtutis, oculos mentis ferientem (quin fulgorem ** adeo caelestem, qui pree- stinguat intuentum oculos;) appellabant. Secundum haec igi- tur *Gloria* erit eius hominis, eius actionis, quam probant vel vniuersi, vel plures, vel intelligentes ac sapientes, deque horum numero vel omnes, vel plerique, vel qui inter hos ipsos eminent.

*** Si

Topic. I, 1. Ἐνδόξα τὰ δοκεῖτα πᾶσιν, οὐ τοῖς πλείστοις, οὐ τοῖς μείζοις, οὐ τοῖς πλείστοις, οὐ τοῖς μείζοις γνωστοῖς οὐ ἐνδόξοις. Notari potest ad vim vocis poenitus inspiciendam, τὰς δοκεῖτας etiam esse, qui viden- tur praestare ceteris, quibus adeo δόξα tribuitur, qui sunt ἐνδόξοι, εἰ δόξη, in opi- nione hominum constituti.

** Ut Luc. 2, 9. 1 Cor. 15, 40. 41 &c. Videtur tamen haec ratio, quae latissime par- tet, sacris scriptoribus propria, e qua illud quoque ortum, quod gloriam (*gloire*) pictores vocant depictam coeli aperti & fulgentis vnde imaginem.

A 2

*** Si haec indiscreta nimis & vaga videatur, & vix digna illo nomine definitio: meminerimus, illud ipsum non definitionis vi-
tium esse, sed adeo abuti homines nomine Gloriae, hoc est adeo
varie ad res diuersissimas signandas illud adhibere, vt non possit
vis illius arctioribus limitibus circumscribi. Quam igitur latus
hic aperiatur campus, si quis velit ire per singula, & disputare,
Vtrum sit, fuerit, esse possit, vel actio vel homo adeo, qui pla-
ceat omnibus, quem vniuersi probent? Vtrum bona quaedam
placere vel omnibus vel plerisque possint, & quae sint illa? Qui
sunt sapientes? & inter sapientes quis principatum teneat? De
quibus omnibus quaerere facilius est, quam respondere quod
omnibus placeat, aut plerisque certe, aut melioribus, aut deni-
que meliorum optimis: sic tamen, vt si sumus philosophi, di-
gni hoc nomine, hoc est sapientiae amici quidam & fautores,
negare non debeamus, illam esse veram gloriam, quae sit in vera
sententia hominum honestorum, & cum auctoritate viuentium, de
nostra virtute. Sed hac de re alias. Modo alium locum consi-
deremus, qui cum hac disputatione coniunctus est. Gloria inter
Graecos maxima fuit, victorem Olympiae citari, vel coronari
ludis & sacris certaminibus, quae in Isthmo, quae Pythone, quae
Nemeae celebrabantur. Haec vero gloria tribuebatur solis cor-
poris exercitati viribus; coronabatur, qui decurrido vel suis
pedibus vel in equo, vel iunctis equis, qui luctando, iaculando,
superasset ceteros, denique qui vocis exultaे viribus praestaret.
Quaerit nec immerito Aristoteles *, & hoc problema ponit,

Quare primi ludorum auctores corporum certamini praemia po-
suerint, sapientiae non item? Tria respondet, dubie omnia, vt
folet, vt ipsa problematis ratio appellatioque suadebat, de qui-
bus breuiter videamus. Primum illud, quod de corporis moti-
bus atque viribus iudicare fere omnes possunt, etiam qui viribus
& arte destituuntur: de sapientia iudicare nisi sapiens non po-
test. Nempe quis alterum deiecerit, quis prior peruererit ad me-
tam, e. i. g. a. videre cuiusque est modo non caeci: sed quis de
diuinis humanisque rebus disputat sapientius, istuc videre non
expeditum est, &, quod addit Aristoteles, qui hoc videre pos-
sunt, illi certare ipsi, praemium ipsi reportare malent, quam iu-
dicare de aliis. Deinde nec illud non acute vidit idem, homi-
nes patientius vinci, & minus aegre ferre aduersa iudicia, vbi
de

*** Cognatum & simile huic definitioni est illud, quod εὐδόξιαν, scilicet bonam famam ita
finit Rhet. I, 5. Εὐδόξια ἐσὶ τὸ ὑπὸ πάντων σπελάκων ὑπολαμβάνεσσι, οὐ τοιετό
τι ἔχειν, οὐ πάντες ἀφίενται, οὐ οἱ πολλοὶ, οὐ οἱ ἀγαθοί.

* Problem. 30, II.

de viribus atque agilitate corporum sermo est, iniquissime autem ferre aliorum de ingenio, de virtute, de sapientia sua arbitria **: itaque seditiones & mala e tali certamine, talibus ex praemiis, oritura plurima. Tertia ratio Stagiritae, speciosa sane & magnifica, haec est, quod, cum praemium certaminis debeat ipso certamine esse potius & optabilius, nullum satis dignum virtute & sapientia praemium inueniri possit, nedum praestantius, quum ipsa sapientia sit rerum omnium optimum, cum ipsa sibi virtus eadem praemium sit. Non ferunt huius scriptio[n]is angustiae ampliorem disputationem eorum, quae forte dici contra Aristotelis rationes possint. Breuiter illud modo indicamus, non valuisse illas in vniuersum, ne apud Graecos quidem Aristotele maiores: cum vel Aristophanis integra Ranarum fabula, & loci plures, satis indicent, certatum certe de sapientiae scenicae praemiis esse apud Graecos. Porro noti sunt multi apud iuniores illos Graecos, multi apud Romanos agones, ludi, certamina, in quibus de sapientia certatum nouimus, quo nomine eruditionem philosophorum, oratorum, poëtarum * contineri constat? Si de veri nominis sapientia sermo est Philosopho, quod ex tertia illa ratione colligas, omisit eam, quae forte omnium validissima est. An putatis, cives, aut quicunque haec legentes nostis iidem paullo proprius Socratem, illum vnuquam in certamen sapientiae descensurum fuisse? illum hominem, qui Philosophum requirentibus alios ostenderet? qui quidquam scire se negaret? An quisquam vere sapiens

non, idem longe erit modestior, quam vt tale certamen certare velit? Nonne prout quisque est sapientissimus, ita facillime aliis phaleras & titulos & ornamenta sapientiae concedit. Sed satis prolusum est. Inuitamus vos, CIVES, FAVTORES, conditionis omnis atque ordinis praestantissimi, ad anniuersaria nostrae Academiae sacra die crastini, qui erit

XVII Septembris, ab hora inde IX, in aede Academica

celebranda, inter quae non quidem certaminum & ludorum, sed tamen eruditiae sapientiae praemia apud nos, vt solet, distribu-

** Meminerimus sententiae, quae vehementer adeo placuit Ciceroni, vt aliquoties eam posuerit, neminem esse poëtam tam malum, quin sibi videatur optimus. Et fuit ipse suo iudicio Poëta Tuilius.

* Iucunditatis cuiusdam causa vnum apponimus locum Sueto. Calig. 20 de Lugdunensis illis ludis. Certamen quoque Graecae Latinaque facundiae, quo certamine ferunt victoribus praemia vicos contulisse, corundem & laudes componere coactos: hos autem, qui maxime displicuerint, scripta sua spongia linguae delere iussos, nisi ferulis obiurgari, aut flumine proximo mergi, maluerint. Itaque merito expalluit Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram, quod est Iuuenal. 1, 44.

buentur: quorum iudices & brabeutae sunt non quales metuit Aristoteles, sed aequissimi, sed gaudentes ea, quae ipsi meruerunt olim, iam dignis tribuere; praemia, quae non rixas pariunt vel contentiones, sed amoris & beniuolentiae mutuae vinculis huic literariae Vniuersitati eruditos homines adiungunt; praemia, qualia ipsa sibi virtus velit tribui, quae campum dominis suis aperiant earum artium exercendarum pariter ac propagandarum, propter quas condita vnde uicesimo, inaugurate sexto decimo ab hinc anno est haec Academia. Ad hunc natalem Academiae diem, pie celebrandum concurrite, CIVES, FAVTORESQUE, fauete praemiis, quae tribuentur, in primis vero caste nobiscum Statori ac Seruatori Deo supplicate, pro salute Augustissimi REGIS, Conditoris nostri, & Rectoris suae Academiae Magnificentissimi, pro incolumitate & felicibus incrementis Serenissimi WALLAE PRINCIPIS, totiusque DOMVS REGIAE, pro felicitate amicorum Regis, & in his Curatoris nostri MVNCHHSII, pro statu & felicibus auctibus Academiae, & vrbis placido illam fuentis sinu. Sic vos Deus, sic per vos familias patriasque vestras, secundet, prosperet, beat. P. P. a. d. XVI Septemb.
cl^o I^occlim.

